



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

3 An Missæ sacrificium tantum à Christo potuerit institui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Dici etiam solet testamentum instrumentum ipsum continens & significans voluntatem testatoris, & hoc etiam modo Eucharistia dici potest testamentum, tanquam signum & instrumentum continens & significans Christi voluntatem & liberalem omnium suorum bonorum largitionem nobis collatam. Huiusmodi autem testamenti appellatio non pugnat cum ratione sacrificij: quia idem sanguis, quo novum testamentum confirmatum est, potest etiam in Dei cultum & sacrificium consecrari, & eadem res, quae nobis à Deo datur, & à CHRISTO in hereditatem huius vitae, & in signum suae voluntatis, & aeternae hereditatis testamentum donata est, potest & debet Deo à nobis offerri in eius honorem & sacrificium: nihil enim magis decens, aut conveniens esse potest, quam ut donis, quae Deus nobis contulit, ipsum colamus ac veneremur, & hoc ipsum indicavit nobis Christus verbis illis: Hoc facite in meam commemorationem: iuxta expositionem in superioribus datam.

SECTIO III.

Utrum Missa sit sacrificium, quod tantum à Christo Domino in seipsum potuerit.

IN hac sectione non solum rem ipsam (quae fere iam ex dictis perspicua est) sed etiam ipsam Missae vocem explanare ac defendere intendimus: Haeretici enim vehementer invehuntur in eam, irridentque & rejiciunt, tanquam novam & barbaram vocem, quod eo animo faciunt, ut rem profus evertant: Catholici vero è contra vocis antiquitatem & Etymologiam erudite & accurate inquirunt, ut veritatem rei significatae magis stabiliant. Dicens ergo in primis est, vnum huius vocis (Missa) in Ecclesia Latina esse antiquissimum: Legitur enim in Conc. Carthagenens. II. Can. 3. Concil. Carthag. IV. Can. 84. Milevit. c. 12. Vassens. c. 3. & 4. ubi etiam distinguitur Missa publica à privata. Concil. Agathens. Can. 11. de loco, ubi est Missa celebranda, & Cano. 47. de praecipito audiendi Missam die Dominico. Leo Papa epistol. 82. plures praecipit celebrare Missas, ubi pro multitudine populi vna non sufficit. Thelephor. epist. 1. instituit, ut in Missa hymnus angelicus dicatur, & tres Missae nocte Natiuitatis. Felix I. epist. 2. praecipit Missas celebrari supra memorias Martyrum. Eucharis, ut Basilicæ cum Missa consecrarentur, et est apud Burchard. lib. 3. Decret. c. 27. quod tamen Gratianus tribuit Higinio in c. Omnes, de consec. dist. 1. qui omnes & alij Patres sibi relati hoc nomine Missa vti sunt, & praeterea Ambros. li. 1. ep. 33. & August. ser. 91. & 241. de tempore. & Greg. lib. 1. epist. 12. & lib. 4. epist. 10. Secundo de origine huius vocis, quidam existimant esse vocem Graecam, ut Couarr. libr. 4. Variar. resolut. cap. 22. non est autem verisimilis opinio, quia nullum eius vocis fundamentum in Graeca lingua reperitur: vnde neque vsum eius in Graecis Patribus legitimus, sed quam nos (Missam) illi (Liturgiam) vocat, vel (Synaxin) vel alijs vocib. vtuntur, quae communes sunt huic mysterio, ut sacramentum est. Alij ergo censent esse vocem Hebraeam, à verbo Missae, quod spontaneam oblationem significat: ita Concil. Senon. in decr. fidei, cap. 11. & Claud. de Sanct. in praefat. ad Graecas liturg. & Pamelius in praefatio. ad Latinas, & in Scholiis ad Tertullianum lib. de orat. in principio; & Demochares tract. 2. & 4. de sacrificio Missae. Quae opinio est probabilis: quamvis eam suspectam faciat authoritas negatiua Patrum Graecorum, & Syrorum, qui nunquam ea voce vti sunt, cum tamen soleant frequenter uti illis vocibus Hebraicis, quas Ecclesia Latina retinuit, ut sunt (Hofanna, Alleluia) &c. Tertia igitur opinio est, hanc vocem esse Latinam, à verbo (mitto) quam late tractat Lindan. lib. 4. Panop. cap. 3. & Bellarm. lib. 1. de Missa, cap. 1. Franc. Suarez Tom. 3.

Et videtur fuisse sententia D. Thom. hac q. ar. 4. ad 9. & Hug. Vict. lib. 2. de sacram. p. 9. cap. 14. qui Etymologiam huius vocis explicantes, oblationem subintelligendam esse censent, ita vt (Missa) dicatur, quia oblatio sacrificij ad Deum mittitur, & Missa est, vel quia Deus ad nos mittit hostiam huius sacrificij, quam nos ad ipsum, iterum per Sacerdotem in sacrificio remittimus, iuxta illud, quod in Canon. Missae dicitur: Iube hæc perferri per manum sancti angeli tui in sublime altare tuum: atq; hoc modo sentit etiam Innocent. lib. 3. de hoc myst. cap. 12. & Bonavent. opusc. de mysterio Missae. At vero Isidorus sentiens, etiam hanc vocem esse Latinam libr. 2. etymol. cap. 19. censet dictam à dimittendo, quia finito Missae sacrificio populus mittitur, sed dimittitur, ita vt subintelligenda sit congregatio seu concio Missa, vel dimissa, & in eadem sententia est Alcuin. lib. de offic. Eccles. de celebratione Missae. & hab. lect. 15. in Canon. & non dissentit Hugo Victor. loco citato. Ad quod intelligendum obseruandum est, antiquum Ecclesiae morem fuisse, vt dum Missae sacrificium celebrabatur, populus non discederet, donec à Sacerdote, vel Diacono dimitteretur: ita enim ad tanti sacrificij reuerentiam decebat, & vt debitus ordo in Ecclesia seruaretur. Hæc autem populi dimissio bis in Missa fieri solita est; primo, finito Euangelio ante primam oblationem, tunc enim dimittebantur Catechumeni, vel si qui aderant Gentiles, quibus mysterijs interesse, aut ea videre minime permittebatur, vt constat ex Clemente lib. 8. Constitut. Dionys. cap. 3. de Ecclesia. Hierarch. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 50. & Augustinus tractat. 11. in Ioan. Gregor. 12. Dialog. c. 23. Alia dimissio fiebat post sacrificium finitum, ad quam videtur alluisse Cyprian. lib. de spectra dicens. Festinat ad spectaculum dimissus, & adhuc secum ferens, vt a solet, Eucharistiam, & Tertull. li. de anima. Post transacta solemnia dimissa plebe, &c. Hinc ergo factum est, vt hæc ipsa dimissio (Missa) dicta fuerit, & ita videtur sumi in Conc. Carthag. IV. cap. 84. & in Concilio Illerdensi, cap. 4. in quibus dicitur, Haereticos Iudæos, & Gentiles permitti posse adesse vsq; ad Missam Catechumenorum, id est, vsq; ad dimissionem, vt exposuit Glossa in cap. De incestis, & in cap. De his, 25. quæst. 2. & in capite, Episcopus, de consecratione, distinctione 1. & Augustinus sermone 237. de tempore apertius dicit: Ecce post sermonem fite Missa Catechumenis, & fideles manent: i. fit dimissio Catechumenorum. Et eodem modo sumi videtur à Sancto Benedicto in regula sua, capite 17. & Cassiano libro 2. institutionum, cap. 13. & 15. & libro 3. capit. 7. & 8. iuxta hanc deductionem, quod nunc in Missa dicimus. (Ite Missa est) ita est interpretandus: Ite, iam enim est dimissionis tempus, quamvis exponi etiam possit iuxta priorem etymologiam, subintelligendo oblationem, vel totam illam actionem sacram. id est: Ite, iam n. est oblatio ad Deum missa: vel iam tota hæc actio sacra est completa. Quacumq; vero ratione originem & impositionem huius nominis accipiamus, certum est tamen, iam deductam esse illam vocem ad significandam totam illam actionem, in cuius fine populus dimittitur, & inde duplex etiam Missa distincta est; Vna (Catechumenorum Missa) quae durabat vsque ad primam oblationem exclusiue, cuius fit mentio citatis locis, & in Concilio Valent. capit. 1. & apud Cassian. libro 11. institutionum, cap. 15. Alia dicitur (Missa fidelium) quae incipit ab offertorio, & durat vsque ad finem, de qua Ambros. libro 5. epi. 33. Dimissio Catechumenis, Missam sacramentorum, vt loquitur, facere cepit: & hinc in plurali vocari solet totum officium (Missarum solemnium) vt est apud Augustinum, ser. 81. de tempore, & Gregorium, Homil. 22. in Euangelia: nunc vero Missa etiam in singulari dicta, significat totam actionem sacram à principio vsque ad finem, quae vtramque prædictam Missam complectitur: iam enim illa prior dimissio subblata

Gggg subblata

D. Thom. Hugo Vict. Horum qui dā à mitto. Innoc. Bonav. Alij dī mīto. Isidor. Alcuin. Hugo. Clemens. Dionys. Cyrill. August. Cyprian. Conc. Carthag IV. Augustinus. S. Bened. Cassian. Conc. Valent. Ambros. August. Gregor.



sublata est, & tota res vna veluti continuata actione conficitur, & quæ nomine Missæ iam significatur. Et hæc tenet de voce (Missæ) de qua plura erudite congerit Ioannes Durandus, libro 2. de ritibus Ecclesiæ. cap. 1.

Durand.

*Missæ ut nunc fit præter sacrificij substantiam accidentia complectitur, quod complexum non est à Christo institutum.*

Quod igitur ad rem attinet, de Missa loqui possumus, vel ratione totius actionis, vt includit omnes ceremonias & orationes, quæ ibi fiunt & dicuntur, vel tantum de substantia sacrificij, quod inter illam actionem offertur. Dicendum ergo est primo, Missam, vt comprehendit totam illam actionem, complecti quidem sacrificium, non tamen solam substantiam eius, sed etiam accidentia (vt sic dicam) & ideo secundum hoc totum, non est à solo Domino instituta. Constitutio hæc est certa & clara, quoad omnes partes, suppositis, quæ diximus: nam Missa hæc complectitur totum Eucharistiæ mysterium à consecratione vsque ad consumptionem: ostendimus autem hoc mysterium esse sacrificium: ergo Missa, quoad substantiam suam sacrificium est, aut (quod perinde est) in Missa sacrificium offertur, vt Patres omnes supra citati loquuntur. Secunda vero pars & tertia per se nota sunt: Nam Canon Missæ non à Christo, sed ab Apostolis & eorum successoribus traditus est & compositus, vt Con. Trid. dicit sess. 22. & idem est certum de aliis ceremoniis & Collectis, & colligi potest ex Clem. & aliis Pontificibus, & Conciliis citatis, & ex Isidoro lib. 2. de officiis, vbi dicit, ordinem Missæ & orationum à S. Petr. esse institutum, & supra agentes de forma ostendimus, Apostolorum tempore paucas ceremonias, & orationes adiunctas esse oblationi huius sacrificij, quæ postea successu temporis ab Ecclesia additæ sunt, de quibus in sequentibus dicendum est late.

Conc. Trid.

Isidor.

*Missæ sacrificij substantia est à Christo Domino instituta.*

Dico secundo, Missa, quoad substantiam sacrificij, à Christo Domino instituta est. Est de fide & sufficienter probatur ex dictis in duabus præcedentibus. Nam Christus in nocte cæne obtulit hoc sacrificium & potestatem ac legem perpetuo duraturam, de illo in Ecclesia offerendo, tradidit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem: vt declaratum & probatum est: hoc autem ipsum, & nihil aliud, est sacrificium instituire, vnde Irenæ. l. 4. c. 32. & 34. Nouam, inquit, docuit oblationem, quæ Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Ambr. 1. præpar. ad Miss. Ego licet peccator accedo ad altare tuum, & offero sacrificium, quod tu instituisti, & offerre præcepisti. Aug. conc. 2. in Pf. 33. Ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Leo Pap. ser. de Passione: Iesus verus Testamentum consummabat, & nouum Pascha cõdebat, & docebat, qualis hostia Deo deberet offerri. Deniq; Alexand. I. ep. 1. c. 4. Veritas nos instruxit calicem & panem offerre: & similia multa citata sunt in superioribus, & alia sumi possunt ex modernis autoribus relatis, præsertim ex Durand. dict. lib. 2. c. 2. & 3. vbi multa congerit. Ratio addi potest, quia Christus est author nouæ legis: ergo instituire debuit omnia, quæ de substantia sunt huius legis: huiusmodi autem est sacrificium, sicut & Sacerdotium: nam hæc duo necessario sunt connexa, & de Sacerdotio ait Paulus transferri simul cum lege, aut ipso translato, necesse esse legem etiam transferri. Et confirmatur primo, quia Christus instituit Eucharistiæ mysterium, vt in superioribus tractatum est: ergo sub vtraq; ratione, sacramenti & sacrificij instituit: quia non est maior ratio de vna, quam de altera, nec minus requiritur Christi auctoritas ad significationem & efficaciam eius, vt sacrificium est, quam vt est sacramentum. Denique quia ratio sacrificij prior est, & quodammodo posterior, quam sacramenti, vt infra dicam. Confirmatur secundo, quia Christus abrogando legem veterem, eius sacrificia abtulit: ergo è contrario stabiliendo legem nouam, eius sacrificium instituit.

Irenæ.

Ambr.

Augustinus.

Leo Pap.

Alexand. I.

Durand.

*Quæstionibus hæc satisfi.*

Sed quæret aliquis, an potuisset Ecclesia hoc sacrificium instituire, si Christus illud non instituisset. Respondetur, duobus modis hoc intelligi posse. Primo, quod Christus Dominus, neque instituerit hoc mysterium, quoad rationem sacrificij, vt sic, neque etiam quoad actionem ipsam, in qua significatio sacrificij fundatur, id est, quod non dederit hominibus corpus & sanguinem suum. Secundo, vt dederit quidem hanc potestatem in ordine tantum ad sacramentalem vsum: non vero quoad rationem oblationis seu sacrificij. In priori casu euidenter est, non potuisse Ecclesiam, tale sacrificium instituire, vnde enim illa haberet potestatem ad conficiendum corpus Christi, si Christus non dedisset? Est enim hæc potestas maxime supernaturalis, vt ad Deum colendum primario fieret, & ita posse instituire hoc mysterium sub ratione holocausti & sacrificij laudis, seu gratiarum actionis, & impetratorij, & alio modo propitiatorij: vel impetrando tantum; vel etiam aliquam satisfactionem applicando per modum indulgentiæ, quamuis non proprie & in rigore ex opere operato.

Secundo, vt dederit quidem hanc potestatem in ordine tantum ad sacramentalem vsum: non vero quoad rationem oblationis seu sacrificij. In priori casu euidenter est, non potuisse Ecclesiam, tale sacrificium instituire, vnde enim illa haberet potestatem ad conficiendum corpus Christi, si Christus non dedisset? Est enim hæc potestas maxime supernaturalis, vt ad Deum colendum primario fieret, & ita posse instituire hoc mysterium sub ratione holocausti & sacrificij laudis, seu gratiarum actionis, & impetratorij, & alio modo propitiatorij: vel impetrando tantum; vel etiam aliquam satisfactionem applicando per modum indulgentiæ, quamuis non proprie & in rigore ex opere operato.

SECTIO IV.

*Utrum Missæ sacrificium vnicum sit in lege noua, ita vt aliud in ea esse possit.*

Vo in hoc titulo comprehenduntur. Vnum est, an ipsummet sacrificium Eucharisticum sit vnum tantum. Alterum est, an cum illo possint in Ecclesia Christi esse alia sacrificia. Circa primum ratio dubitandi esse potest, quia in Missa multa sunt circa corpus Christi, quæ per se singula ad rationem sacrificij sufficiunt, vt sunt duplex consecratio corporis & sanguinis, nam vnaquæq; per se sufficit, vt sacrificium integrum sit. Item fractio, quæ postea fit circa corpus Christi, cum sanguinis missione: nam ibi sit aliquod sacrum circa rem oblatam: ac denique idem argumentum fieri potest de consumptione corporis & sanguinis Christi, prout fit à Sacerdote. Vel aliter, quia prius sacrificatur panis & vinum, transmutantur enim in Dei cultum, & deinde offeruntur corpus & sanguis Christi: nam prius conficiuntur, postea offeruntur, quoniam offerri supponit esse: sunt ergo diuersa sacrificia, sicut & diuersæ res oblatæ. Tandem habere plura sacrificia, videtur ad perfectionem & complementum alicuius legis pertinere: maxime, quando talia sacrificia ad diuersos fines ordinantur, vt sunt holocaustum, gratiarum actio, propitiatio pro peccato: ergo decuit, vt Deus hæc sacrificiorum varietatem in lege noua institueret, si enim id fecit in lege veteri, multo magis in noua, quæ perfectior est. Christus autem Dominus extra mysterium Eucharistiæ, nullum sacrificium instituit: ergo in hoc mysterio tota illa sacrificiorum varietas & multitudo continetur, vt si intelligamus, consecrationem ipsam habere rationem holocausti, quatenus per eam tota substantia panis in substantiam corporis Christi transformatur: fractionem vero, quæ expressis passionem Christi significat, rationem habere sacrificij propitiatorij, aut oblationem ipsam corporis Christi, quæcumq; illa sit.

Dicendum nihilominus est, sacrificium Eucharistiæ esse vnum tantum, illudq; solum esse à Christo Domino in lege noua institutum. Ita sentiunt non solum omnes Theologi: imo Concilium Tridentinum in

Con. XII. Chap. hanc

Dicitur quædam

Enchiridion